



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De eadem delegatione, quæ fit à Prælatiſ inferioribus, parag. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Nullam habitationem habentes.

§. V.

14. Quartò denique, si tu sis vagus, hoc est, nondum habeas animum alicubi residendi, sive quia intendis semper vagari, sive quia selecta tua habitatione, nondum pervenisti ad locum destinatum, vel inquiris, in quonam loco residere debeas: Si, inquam, sic te habes, potes a ubique recipere Sacramenta, quia non est major ratio de uno loco, quam de alio, & ex alia parte brevis mora, qua in uno loco inveniris, addicit te illi. Hæc quoad effectum Absolutionis, nam quoad assistentiam Matrimonii, dicam infra latè b & quoad ferendas censuras dicam in Tractatu de Excommunicatione, & quoad suscipiendos Ordines dicam in Tractatu de Ordine. c

a Sanc. d. l. 6. de matr. d. 25. n. 5.
b Infra l. 8. matr. tr. 6. c. 2. §. 5. à nu. 10.
c Infra l. 7. de ord. c. 6. §. 1. à nu. 6.

§. IV.

De Delegatione Jurisdictionis absolvendi à peccatis, quæ fieri à Summo Pontifice solet.

1. Duæ tantummodo observationes circa hoc in medium sunt afferendæ. Prior Cum conceditur à Summo Pontifice, ut Religiosi ab Ordinario approbati, valeant excipere Confessiones omnium Fidelium, possent ex vi hujus clausulæ excipere Confessiones etiam Religiosorum, quia concessio est universalis, & nemini præjudicium afferens: tamen quia quæcumque Religio habet nunc peculiare privilegium, ut ejus Religiosi non suscipiant Pœnitentiæ Sacramentum ab aliis extra ordinem, ideo ipsi hodie excluduntur ab illo privilegio generali, ut d. Suar. & Layman. e adnotarunt: Ita in Societate expressè à nostro Patre Generali nobis caveretur, ne quis nostrum absolvat Religiosos sine suorum Superiorum licentia.

d Suar. T. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 16.
e Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. nu. 19. in Compen. Privil. Soc. V. Absolvo §. 1. f Infra c. 5 §. 2. à nu. 27.

2. Prædictam Jurisdictionem, seu potestatem ad absolvendum, ita delegat Summus Pontifex Religiosis singulis, ut hi eam communicatam habere debeant immediate à suis Superioribus. Sed de hoc infra statius.

Nonnulla de Delegatione Jurisdictionis absolvendi à peccatis, quæ ab Episcopo, vel similibus Prælati emanare solet.

1. Quandoquidem Religiosi, ut modo vidimus §. præcedenti nu. 2. prædictam Jurisdictionem absolvendi habent à Summo Pontifice, mediantibus suis Superioribus, hæc quæret quis, an possint nihilominus eandem immediate habere ab Episcopis, pro ipsorum Episcoporum ovibus, sine ulla dependentia ab ipsorum Religiosorum Superioribus? Respondeo. De hac re agam paulò inferius. g

2. Quæres Secundò. Si quis Prælati compellus per metum gravem concederet hanc Jurisdictionem absolvendi (idem de Ap probatione) validane esset collatio, atque adeò Confessio, & Absolutio? Respondeo, Crucem Validam esse, docet Sanchez cum aliis, quia gesta per metum sunt voluntaria absolute, licet indirectè involuntaria. Sed invalidam esse, merito ait Pontius, aliique; quia concessio Jurisdictionis est quædam donatio: at donatio meticulousa invalida est, ut alibi Inos diximus.

3. Absolutionem Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti per metum datam, esse item invalidam, dicam, cum de Excommunicatione. Absolutionem autem à peccatis, (ut id etiam obiter scias) per metum collatam, validam puto cum Delugo in quia Basilisimus simili metu collatus, ut etiam alia Sacramenta valida sunt. Et confirmatur; nam quamvis Salas n. putet, sententiam, per metum latam, esse eo ipso irritam, Castrop, o tam men, & Azor. verius putant, esse validam, quia nullibi in jure invenitur irritata. Cum ergo Absolutio naturam sententiæ sequatur, nec erit ipsa irrita, licet metu collata. Simili modo Dispensationes, & signatè Dispensationem Irregularitatis, metu concessam, validam esse, putat Delugo, quia nimirum nullibi in jure irrita pronunciat.

4. Quæres Tertio. Quid si eadem (ut & Approbatio) extorqueantur per dolum, v.g. per commendationem falso concinnatam, quasi alicujus Principis?

Respon-

Respondeo. Puto esse validam, quia commendatio ejusmodi non videtur esse causa finalis, sed solum impulsiva, non enim verisimile est, Episcopum nolle dare licentiam excipiendi Confessiones, si commendatio falsa esset; sic enim, cum sint frequentes ejusmodi commendationes, exponerentur Confessiones multis periculis nullitatis. Ita in simili Sanchez a de licentia Parochi, data ad assistendum Matrimonio.

5. Rectè autem hæc dicta sunt de exemplo dato commendationis falsæ, deque similibus. Cæterum si dolus, ut etiam error, sit concenens ad causam finalem, vel ad aliquid substantiale, ut si v. g. per dolum, vel errorem Episcopo submitatur unus pro alio, nemo dubitat, licentiam esse prorsus invalidam.

6. Quæres Tertio. Si injustè Episcopus denegat jurisdictionem (idem si Approbationem) Sacerdoti, possumusne præsumere ejusmodi Sacerdotem illam nihilominus acquirere? Respondeo Non possumus: quod certissimum est de Sacerdote seculari. De Regulari dubitant nonnulli, verum de hoc infra.

7. Quæres Quarto. Ut à me acquiratur Jurisdictio delegata; debetne mihi esse nota ejus concessio? Respondeo. Ita puto, quia debet te acceptari, quæ acceptatio esse non potest, nisi concessioem scias. Illud tamen fateor, quando concessio est facta Religioni, eo ipso, quod Religionem professus es, omnia te privilegia, atque ad eam potestatem absolvendi te acceptasse. Vide, quæ de quaestione huic affini, dicam in Tractatu de Casibus reservatis.

§. VI.

De Acquisitione Jurisdictionis Absolvendi ex Ratihabitione.

1. Siquis Sacerdos simplex aliquem à mortali absolveret hoc mane v. g. five probabiliter, five certo putans, quod hodie sero, vel cras, vel perendie, &c. Episcopus ratam, & firmam habebit ejusmodi Absolutionem, diceretur absolvere ex Ratihabitione de futuro: & hæc est propriè Ratihabitio.

2. Si autem idem Sacerdos absolveret, quia probabiliter, vel certo putaret, heri v. g. Episcopum, quamvis non expresse, tacitè tamen concessisse potestatem, ad ejusmodi ab-

solutionem, vel parimodo, si nunc, dum datur Absolutio, putaret, Episcopum consentire, eæ non dicerentur propriè Ratihabitiones, sed licentiæ præsumptæ, & impropriè solum dicerentur Ratihabitiones. Quærimus ergo, An jurisdictio absolvendi delegetur aliquando alicui per Ratihabitionem; & prius quidem de propria, tum de impropria decernamus.

3. Dico Primò, nunquam delegari per Ratihabitionem propriam. Quare in casu dicto nu. 1. Ille Sacerdos (quicquid e aliqui dicant) semper nulliter absolvet. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia (abstrahendo an in aliis materiis Ratihabitio de futuro valider actum) in casu nostro est peculiaris ratio, quæ obstat, id est, ratio Særamenti; Cum enim Særamentum non possit esse in suspensio, nec dependens à consensu futuro Superioris, non poterit consensus futurus sufficere ad validitatem absolutionis: vel enim illa absolutio hoc mane collata fuit valida, & sic non indigebit consensu futuro: Særamentum enim semel validum non potest fieri per humanam potentiam invalidum: Vel fuit invalida (ut certè est, quia non processit à potente absolvere) & sic non potest fieri valida postea, quando non est; licet enim aliquando actus antea invalidi possint deinde aprobari, & fieri validi per Ratihabitionem; id accidit in iis actibus in quibus jus potest facere, ut dicti actus incipiant valere, quando ponitur aliqua conditio, tunc enim jus facit, ut valeant, seu habeant effectum, ac si ab initio validi fuissent; id, quod Juristæ explicant, dum dicunt, tunc valorem retrahit per Jurisdictionem ad tempus præcedens, sicuti qui hodie ratam habet percussioem Clerici suo nomine heri factam, excommunicatur, ac si heri consensum præbuisset, juxta illud g Juris pronunciatum, Ratihabitio retrahitur, & mandato comparatur. At in Særamentis à Christo institutis hæc fictio ab humano jure, ut ex se patet, fieri non potest.

4. Dices. Cur licentia v. g. proprii Parochi præsumpta de futuro sufficit ad Eucharistiam, vel Extremam-Unionem alicui ministrandam, ut etiam similis licentia Prælati sufficit, ut Religiosus, aliquid expendendo, non peccet contra Paupertatem, non autem sufficit in casu nostro similis licentia præsumpta de futuro?